

DE REMISSIONE PIGNORIS.

8.26.1

Imp. Severus et Antoninus AA. Proculo.

Si te manumissum et in libertate moratum sciente ea, cui pignoris nomine obligatus diceris, praesidi probaveris, ex consensu creditricis remissam pignoris obligationem apparebit, et per hoc iure te manumissum nec ab herede debtricis in servitutum peti posse certum est.

PP. XII k. Mai. Antonino A. II et Geta n cons. [a. 205]

8.26.2

Imp. Antoninus A. Materno.

Si probaveris te fundum mercatum possessionemque eius tibi traditam sciente et consentiente ea, quae sibi eum a venditore obligatum dicit, eam exceptione removebis, nam obligatio pignoris consensu et contrahitur et dissolvitur.

PP. II id. Febr. Antonino A. III et Geta III cons. [a. 208]

8.26.3

Imp. Alexander A. Tauro.

Si ignorante vel invito te debitor tuus, qui universa bona sua ob pecuniam debitam tibi obligaverat, etsi cum re publica, postea contraxit, ius tuum non laesit.

PP. III id. April. Albino et Maximo cons. [a. 227]

8.26.4

Imp. Gordianus A. Aquilino.

Cum te a debitore mercatum proponas eam rem, quae alii pignerata erat, si sciente eo ac pignus suum remittente eam mercatus es, cum eius consensu nexus pignoris evanuerit, si non nova voluntas intercessit, quae denuo obligationem pignoris constitueret, ea res veluti obstricta non potest vindicari.

PP. XI k. Mai. Gordiano A. et Aviola cons. [a. 239]

8.26.5

Idem A. Asclepiadi.

Debitum, cuius meministi, quod per pacti conventionem inutiliter factam remisisti, etiam nunc petere non vetaris et usitato more pignora vindicare.

PP. VI id. Sept. Gordiano A. II et Pompeiano cons. [a. 241]